ε, nam & per ſe tinctura ſubſidet, licet non tam confeſtim.

Vera lilii paracelſi compoſitio.

Pro tinctura antimonii reponatur vera compoſitio lilii Paracelſi, ex lib. de vit. long. *quæ tandem ad tincturam inde extrahendam multùm operæ conferre poteſt, & eſt diaphoreticum vel hydroticum inſigne, & magnatum virium; exhibetur enim ad quoslibet morbos, à gr. duobus ad quinq; vel ſex, in vino vel aqua cordiali: De quo etiam vide Alexand. à Suchten,* libr. de Antimon. myſt. gem. pag. 196. & 284.

Tinctura antimonii exaltata.

Quod ſi tinctura hæc antimonii deinceps per multa cohobia, menſtruo aliquo donec in nobiliſſimam eſſentiam exaltetur, contracturam inprimis ex podagra, in articuls externis cauſatam, feliciter curat, ſi obſervati obſervandis, ad legitimam nempè diætam pertinentibus, & corpus mundificantibus, quotidè aut alternis diebus, gutta j. de tinctura exaltata, cum vehiculo appropriato, in aurora exhibeatur, & ſudor vel in lecto, vel in laconico, procuretur (id quod in declinatione contracturæ fieri debet) & ſic contractura nulla arthritica reſiſtit. Imò hæc antimonii tinctura, ita in ſummam ſpiritualitatem deducta, auro potabili vix quicquam concedit.

Deniq; huicce tincturæ antimonii dulciſſima ſul-